DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

4

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

BRYANUS O'BEIRN

HIBERNUS,

CLASSIS BRITANNICÆ

CHIRURGUS.

"............ *Intùs et in jecore ægro.*"

PERS.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1803.

AMICO OPTIMO,

JACOBO CLEGHORN, M. D.

HIBERNO BRITANNIARUM REGIS MEDICO

PRIMARIO;

ACADEMIÆ REGIÆ HIBERNÆ

SOCIO;

IN

DUBLINIENSI SACROSANCTÆ TRINITATIS COLLEGIO,

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ

REGIO NUPER PROFESSORI;

VITÆ INTEGRITATE ET MORUM COMITATE

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM,

AMICITIÆ ET OBSERVANTIÆ

MONUMENTUM

D. D. DQUE

BRYANUS O'BEIRN.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

§ I. DE hepatis inflammatione, quam *HEPATITIDEM* nominant medici, paucis scribere, mihi consilium est; eòque magis, quòd mihi haud pridem contigit, in peregrina orbis terrarum parte, sub occidente sole, medicinam facere, et forsitan brevi meum sit, cùm redardescat bellum, facere sub oriente, ubì hic morbus cùm frequens est, tum lethalis.

II. *Hepatitis*, ibi terrarum, advenas potissimùm afficit, qui illuc ab Europa migrârunt;

A propterea,

propterea, utì videtur, quòd, cùm corporis constitutione, tum victûs ratione et vitæ, indigenis opportuniores sunt morbis, qui inflammationem habent.

III. Neque, enimvero, viliores ibi animantes ab hoc morbo prorsùs immunes sunt. Canes enim Europæi, qui illuc cum heris commigrârunt, eo haud rarò corripiuntur et pereunt. Neque, profectò, hoc mirum: cùm, heros imitati, qui cœlum, trans mare currendo, non animum mutant, carnes quotidie incontinenter assumant, valetudinis improvidi, ventri obedientes.

DE-

DEFINITIO.

IV. Omnes ferè homines, qui de morbis scribunt, antè, quibus quisque signis cognoscatur, paucis verbis comprehendunt, quàm signa narrant, causasve memorant; ostenduntve, quis eventus timendus sit, quis expectandus, quâve ægroto curatione subveniatur.

V. Nos itaque, tritâ viâ insequentes, *hepatitidem acutam*, de qua potissimùm scribere nobis in animo est, Culleni verbis definiemus.

VI. "Pyrexia; hypochondrii dextri tensio "et dolor, sæpè pungens pleuritici instar, sæ- "piùs obtusus; dolor ad claviculam et sum- "mum

"mum humeri dextri; decubitus in sinis-
"trum latus difficilis; dyspnœa; tussis sic-
"ca; vomitus; singultus *."

VII. Signis *hepatitidis* SAUVAGESIUS † annumeravit *colorem faciei flavescentem;* et insuper adjecit SAGARUS ‡ *urinas icteritias, biliosas, et serum sanguinis missi et crustam sufflavam:* sed, nostrâ opinione, perperàm, cùm hæc signa non solùm imperpetua sint, sed etiam rarissima.

SE-

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II. Gen. XVII.

† Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. III. Gen. XXIII.

‡ Vid. SAGAR. *System. Morbor. Symptomatic.* Class. XI. Gen. XIV.

SEDES.

VIII. *Hepatis* inflammationi alia aliàs sedes est; atque, pro sede, alia aliàs signa. Utì enim *pulmonitis* potest esse, aut in ramis *arteriæ pulmonalis* dextro cordis ventriculo enatæ, qui purpureum in pulmones sanguinem distribuunt, ut vitalem mutationem subeat; aut in ramis *arteriarum bronchialium* arteriâ magnâ ortarum, qui diffundunt coccineum in pulmones sanguinem, quo nutriantur: ità *hepatitis* potest esse, aut in ramis arteriæ *cœliacá* enatæ, qui coccineum in jecur sanguinem, quo alatur, distribuunt; aut in ramis *venæ portarum*, qui in hepar diffundunt acceptum à visceribus abdominis, quorum ope aut auxilio efficitur

efficitur *chylus*, sanguinem, ex quo bilis secernatur.

IX. Quin arteriæ hepatis inflammatione haud rarò afficiantur, nemo medicorum quisquam, quòd novimus, dubitat. Venam verò portarum unquàm inflammatione affici, negat Boërhaavius, quòd, utì putat, "omnis sanguis "venosus ineptus est ad inflammationem; "omnis sanguis venæ portæ est sanguis ve-"nosus: sed, postquàm transivit per pulmo-"nes, ubì concutitur et compingitur, jam ad "finem arteriæ pulmonalis compactissimus "factus, hinc tùm aptissimus evadit ad in-"flammationem; hinc omnis inflammatio in "arteriis ab aorta oriundis, rarò in pulmoni-"cis*."

X. Sunt autem medici, clari in primis, Ludvigius, nempè, Swietenius, itemque Monro

---

* Vid. Boërhaav. *Prax. Medic.* § 914.

Monro Secundus; qui, in ramis itidem surculisque venæ portarum, qui hepar perreptant, nonnunquàm, sed rariùs, oriri inflammationem, censeant.

xi. Liquida cera in venam portarum feliciter injecta, ex parte, utì novit Swietenius, redit per arterias hepaticas. Hinc, utì putat, concludere licet, hæc vasa, inter se, hìc illìc, patere, et in alterutrisque posse oriri inflammationem. Veruntamen "effectus illi," inquit, "qui fiunt à sanguine urgente loca in- "flammata, et simul sunt signa inflammatio- "nis præsentis, sæpè non adeò se manifestant, "ubì in ramis venæ portarum hæret morbus; "et hæc videtur causa esse, quarè quando- "què medici, in diagnosi hujus morbi, fallan- "tur *."

xii. Om-

* Vid. Swieten. *Comment. in* Boërhaav. *Aphorism.* tom. iii. pag. 82.

XII. Omnem verò, de hac re, MONRO sustulit dubitationem. Ligatâ enim arteriâ hepaticâ, haud multò pòst, abdomine patefacto, in hepate inflammationem nihilo minùs ortam esse observavit *.

XIII. Quinetiam, inflammatio modò in gibba hepatis facie est, modò in concava; atque non solùm GALENUS †, sed etiam plerique, post illum, medicorum opinati sunt, alia mala ex gibba inflammata oriri, alia ex concava. Consentiunt enim ferè omnes, quoties gibba facies inflammatione laborat, ægrum majore spirandi difficultate urgeri; itemque dolore dextri lateris, ad jugulum usquè pertendente, et tussi: contrà, ubì in concava inhæret inflammatio, suspirio frequente, et defectu stomachi, affici; etiamque nauseâ, importunâ siti, vomitu,

* Aud. ALEXAND. MONRON. SECUND. Prælect. *De Anat. et Chirurg.* in *ACAD. EDIN.*

† Vid. GALEN. *De locis affectis*, lib. V. cap. VII.

vomitu, et alvi profluvio *. Et, quoniam gibba facies septo transverso contigua est, eidemque, per ligamenta *peritonæo* orta, adhæret, dum concava partem stomachi et summum intestinum tegit; inducimur, ut esse, utì dicunt auctores, credamus.

XIV. Inflammatio, porrò, aliquandò majorem jecoris lobum petit, aliquandò minorem; at hunc, utì contendit FERREINIUS †, sæpiùs. Denique, acuta hepatis inflammatio tunicas potissimùm afficit; longa substantiam. Illa inflammatio, utì gravior est, ità citiùs aut resolvitur, aut abscedit: hæc, utì mitior, ità discussu difficilior, et sæpiùs, at seriùs, abit ad suppurationem.

B SIG-

* Vid. SWIETEN. *Commentar. in* BOËRHAAV. *Aphorism.* tom. III. pag. 82—3.
ETMULLER. *Abridgment of the Practice of Physic,* Lib. I. Sect. XVIII. Art. V.

† Vid. *Histoire de l'Acad. Roy. des Sciences,* annor. M,DCC,LXVI—LXVII—LXVIII. pag. 121.

SIGNA.

XV. His de sede *hepatitidis* dictis, nunc fusiùs dicendum est, quibus malis ægros hic morbus urgeat. Hæc, enimvero, tot sunt numero, ut haud facilè ad compendium conferri possint. Ne obscuri simus, in hac rei nostræ parte, memorabimus primùm, quæ mala in acuta jecoris inflammatione oriantur; dein, quæ in vetusta seu longa.

XVI. *Acuta.*—Incipiente hoc morbo, miseri mortales aliquandò nescientes, quid sibi sit rei, languidi, præter solitum, sunt; oscitant subindè, simulque, horrore * quasi perrepente,

* Vid. Cels. *De Medicin.* Lib. IV. Cap. VIII.

te, omnia unà membra exporrigunt. Pigri etiam sunt, et ignavi; neque, enimvero, rarò eorum corpora frigus vicissimque calor percurrunt.

XVII. Sæpiùs autem, ab initio, in dextro hypochondriorum et *epigastrio* dolor urget, neque tamen hæ partes extrinsecùs tument et decolorantur. Dolor modò acutus est et continuus; modò tendens et pungens, et quoties, inter hauriendum spiritum, thorax ampliatur, multùm intenditur. Nonnunquàm obtusior est, et profundior. Aliquandò ad dextrum pectus pertendit, itemque ad dextrum jugulum et humerum *. Neque profectò, ut à CLARKIO accipimus, insolitum est, utraque hypochondria, prope spinam dorsi, dolere; imò,

* Vid. ARETÆ. *De Caus. et Sign. Morbor. Acut.* Lib. II. Cap. VII.
CELS. *De Medicin.* Lib. IV. Cap. VIII.

imò, vel sinistrum hypochondriorum solum, et sinistrum humerum *.

XVIII. Interdum dextra manuum torpore afficitur †. Æger, præ dolore, utrisque lateribus, at maximè sinistro, decumbendi impatiens, dorso decumbit, dextrorsùm sese paululùm inclinans, capite simul et humeris subjecto pulvino suffultis ‡. Quinimò, utì certiores nos facit FORESTUS, nonnunquàm ne dorso quidem diù decumbere potest ‖.

XIX. Haud

* Vid. THOM. CLARK. *Observations on the Nature and Cure of Fevers, and of Diseases of the* WEST *and* EAST INDIES, *and of* AMERICA, &c. pag. 65. Edit. EDIN. ann. M,DCCC,I.

† Vid. CELS. *De Medicin.* Lib. IV. Cap. VIII.

‡ Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 65.

‖ Vid. FOREST. *Observation. et Curation. Medicinal.* Lib. XIX. Observat. VIII.

XIX. Haud rarò septum transversum, seu propter consensum, qui, per nervos, ei est cum hepate; seu quia, per membranas, quæ ipsum et hepar connectunt, inflammationis participes, inflammatione afficitur; motûs impatiens fit, neque, utì sanum solet, pulmonibus, in animam reciprocando, opitulatur *. Quod cùm accidat, spiritus extrinsecùs in pulmones, magno cum dolore, adducitur. Quinetiam, ægrum vexat sicca, frequens, at brevis tussis, quæ vicissim dolorem intendit. Angor simul urget, etiamque præcordiorum gravitas. Arteriæ solito imbecilliùs micant. Anima interdum deficit †.

XX. Aliquandò, vel ob contactum tunicarum, vel ob consortium, quod, per nervos, intercedit inter vicinas partes, stomachus et summum

---

* Vid. ARETÆ. *De Caus. et Sign. Acutor. Morbor.* Lib. II. Cap. VII.

† Vid. BURSER. *Institution. Medicin. Practic.* Vol. IV. Part. Alter. § CLXXVI.

summum intestinum cum jecore consentiunt. Quo fit, ut, post cibum assumptum, stomachus, sicut nimìs repletus, gravetur, atque inflentur præcordia. Quinetiam, æger biliosa quædam, acida, graveolentia eructat; nauseat, et vomere, at sæpè frustrà, conatur *. Interdum non solùm biliosa quædam evomit, et singultu ferè strangulatur, sed etiam fœdissimo afficitur alvi profluvio †.

XXI. Ventris proluvies aliquandò non, nisi paucos post dies, urgere incipit, quàm indubia signa *hepatitidis* sese ostenderint; plerumquè verò hæc aut antegreditur, aut mox insequitur ‡. Ægri simul, haud secùs ac dysenterici, moles-

* Vid. ARETÆ. *De Caus. et Sign. Morbor. Acutor.* Lib. II. Cap. VII.

† Vid. ARETÆ. loc. modò citat.
BURSER. *Institution. Medicin. Practic.* Vol. IV. Part. Alter. § CLXXVI.

‡ Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 66.

molestissimo interdum ardore extremi recti intestini, et tenesmo cruciantur *.

XXII. Increscente morbo, si gibba tantùm hepatis pars afficitur inflammatione, summa cutis, sicut morbo regio, flavescit †. Tussis sicca magis urget. Accenditur major vis sitis. Febris continua est. Æger tranquillum nequit capere somnum ‡. Mens delirat, at haud ità multùm; simulque torpida est, suspensa, et attonita ||.

XXIII. Sin concava facies inflammatione laborat, stomachus et summum intestinum potissimùm

---

* Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 63.

† Vid. BURSER. *Institution. Medicin. Practic.* Vol. IV. Part Alter. § CLXXVII.

‡ Vid. FOREST. *Observat. et Curat. Medicinal.* Lib. XIX. Observat. VIII.

|| Vid. ARETÆ. *De Caus. et Sig. Morb. Acut.* Lib. II. Cap. VII.

tissimùm vexantur. Superveniente enim morbo arquato, alvus tarda fit et astricta; atque subalbida, et ea quidem subdura, cretamque cimoliam referentia, ægrè excernit. Pulsus arteriarum crebriores fiunt, et frequentior animæ defectus *. Arida, et albida lingua est: arida, et sicca cutis. Insedabilis urget sitis, neque rarò in ore sapor ingratus. Urina subrubra est, parca, quasi bile inquinata; et, frigescens, multum sedimenti deponit.

XXIV. *Longa.*—Dictis præcipuis malis, quibus acuta hepatis inflammatio ægros urget; proximum est, ut paucis narremus, quæ ægris mala afferat longa seu vetusta.

XXV. Utì longa jecoris inflammatio sæpè nulla, ut benè dixit Cullenus, præbet signa, quibus

* Vid. Burser. *Institution. Medicin. Practic.* Vol. IV. Part. Alter. § CLXXVII.

quibus dignoscatur, itä ejus historiam scribere, in primis arduum est et difficile ; eò magis, quòd nonnunquàm per hebdomadas, imò etiam menses, antè adest, quàm æger adversæ valetudinis conscius sit.

XXVI. Prima plerumquè mala, quibus ægros afficit longa hepatis inflammatio, nascuntur ex stomacho imbecillo, et ad rem alimentariam concoquendam parùm valido. Præ hac infirmitate, æger nauseâ matutinâ affectus, oblatos cibos fastidit. Imò, ne cibos quidem adulto die assumptos potest perficere ; quippe imbecillum stomachum sic flatu distendunt, ut, pòst paulò, crudos ructitet.

XXVII. Aliquandò, contrà, insolitâ fame urgente, cibos hepaticus avidissimè consumit ; atque, canino appetitu expleto, stomachus oppressus, simulque spiritu distentus, crudam subindè molem eructat et ruminatur.

XXVIII. Quinetiam, quibus obrepit hic morbus, eos tussis sicca, neque admodùm crebra, divexat. Eorum insuper facies, etiamque summa ubique cutis, herbaceo colore tinguntur. Nonnunquàm flavescunt, sicut morbo regio affecti, quorum etiamnum color paululùm in album vergit. Oculorum, qui non, ut sani, nitent, membrana, *ADNATA* dicta, faciei concolor est.

XXIX. In *epigastrio* simul, dextroque hypochondriorum, dolor est ; qui hinc, ut in acuta jocinoris inflammatione, subindè ad latus dextrum, et ad jugulum humerumque lateris ejusdem, pervenit.

XXX. Quanquam, initio adversæ valetudinis, arteriarum pulsus ferè naturales sunt, æger tamen, mirum in modum, languescit, fitque ad solita munera invalidus. Alvus, etiamsi plerumquè pigra ac spiritu distenta, haud tamen

tamen raró excernit biliosa, neque modo iis convenientia, quæ assumuntur.

XXXI. Æger, porrò, morosus est, durus, irritabilis, ad iram pronus, taciturnus, solitudinis appetentissimus. Tametsi somniculosus est, nequit tamen placidam quietem capere; sed frequenter terrificis imaginibus subitò excitatur, quibus sensus insomnes, aut insomniosi, specie rerum mentem decipiunt, animumque perpavefaciunt.

XXXII. Quinimo, æger ab imo pectore frequentia trahit suspiria, quanta haud raró spiritum interrumpunt. Arescunt gingivæ, durescuntque. Siccescit lingua. Arida fit, asperaque summa cutis. Urina solitò coloratior est, at parcior. Alios magna vis sitis urget: alii non magis sitiunt, quàm ex consuetudine.

XXXIII. Morbo

XXXIII. Morbo procedente, arteriæ crebriùs micant, et, advesperascente die, imbecilliùs. Præ hepatis tumore, qui nunc adeò magnus est nonnunquàm, ut tam oculi quàm digiti percipere possint, æger plerumquè spirandi difficultate permultùm afficitur, simulque magis vexatur tussi siccâ et asperâ. Quod autem mirum imprimìs est, nequit, quamvis acerrimis sternutamentis irritentur nares, sternuere. Nonnunquàm tanta vis doloris urget, ut, in lecto, neutri laterum decumbere possit, sed pronus decumbat, genibus manibusque innixus.

XXXIV. Hepaticorum humeri, haud secùs ac phthisicorum, seriùs ociùs gibbosi fiunt; pectusque, ab antica parte, carinam simulat. Abscedit suppuratum jecur. Die in vesperam inclinante, febris intenditur. Nocturni sudores, diarrhœa diurna, vim, si qua superest, digerunt. Arteriarum motus fiunt imbecilli, et cùm vi tum temporibus inæquales. Neque

que multò pòst, miseri, insanabili tabe et macie consumpti, fato cedunt.

XXXV. Præcipua mala, quibus mortales opprimit longa *hepatis* inflammatio, breviter memoravimus. Haud raró autem pleraque ex his urgent, neque tamen ullo ægri vexantur dolore. Intereà tamen morbo incognito marcent magis quotidie magisque, demùmque lentâ morte consumuntur. Patefacto cadavere, medici tùnc primùm cognoscunt, quo morbo periverint.

XXXVI. Hìc loci, memoratu dignum est, utì *hepatitis* nonnunquàm *gastritidem* et *pleuritidem* simulat, ità hos morbos *, itemque *peripneumoniam* †, interdum simulare *hepatitidem*. Quinetiam,

* Vid. BURSER. *Institution. Medicin. Practic.* Vol. IV. Part. Alter. § CLXXVIII.

† Vid. MORGAG. *De Sed. et Caus. Morbor.* Epist. XX. Artic. 30. et 31.

Quinetiam, aliquandò *hepatitis*, et unus aliusve ex his morbis, simul urgent. Quum ità sit, haud mirum est, eorum tam similitudine quàm consociatione non solùm medicos imperitos, sed et exercitatiores, et usu callidos, nonnunquàm in errorem incidere *.

XXXVII. Denique, haud à re nostra erit hìc memorare, interdum *hepatitidem* simul et febrem intermittentem urgere. Hujusmodi mixtus morbus, apud monticolas INDIÆ ORIENTALIS, frequens est, et à medicis *MONTICOLARUM FEBRIS* appellatur. Febris incerto circuitu redit. Inflammatio hepatis effectus febris videtur; et sæpiùs, utì dicunt auctores, sinistrum lobum afficit, quàm dextrum. Sitis urget. Incalescit corpus. Arteriarum ictus non solùm debiles sunt, et parvi, sed et temporibus inæquales.

* Vid. BURSER. loc. modò citat.

inæquales. Insolitus plenitudinis et gravitatis sensus est in dextro hypochondriorum, et *epigastrio.*

FINES.

FINES.

XXXVIII. Hepatis, juxtà atque aliarum partium, inflammatio, nonnunquàm aut sponte aut medicinâ discutitur. Aliàs autem, seu amicorum negligentiâ, seu impotentiâ medicinæ, seu medicorum imperitiâ, seu ipsius violentiâ pus movet, quod, abscessu dirupto, aliò aliàs, effluit. Aliquandò, sed forsitan rariùs quàm olim credebatur, transit in duritiam; quæ misero, quod superest ævi, non solùm intolerabili oneri est, sed et plurimorum malorum causa.

XXXIX. Quinetiam, interdum, inter suppurandum, sanguinis *fibrina* in hepatis faciem effunditur; atque partes contiguæ, per arterias

venasque

venasque quæ per eam commeant, firmissimè cohærent. Denique, inflammatio hepatis aliquandò, utì dicunt auctores, at nostrâ opinione rarissimè, in gangrænam abit.

XL. Quum ita sit, à re nostra haud alienum erit, paucis dicere, quibus notis cognoscatur, ubì jecoris inflammatio in eo sit, ut discutiatur; quæ suppurare, quæ abscessisse, indicent; quæ, partem inflammatam induruisse, testentur; quæ tristem gangrænam imminere, aut advenisse, denuncient; quas, denique, in partes ex abscessu pus erumpat. De his igitur ordine, pauca hìc loci dicere, nobis consilium est.

XLI. Hepatis inflammationem propè esse, ut digeratur, testantur signa post medicinam remittentia; sanguinis è naribus, et, si auctoribus habenda sit fides, præsertìm è dextra, profusio; sudor toto æqualiter corpore sponte ortus; alvi fluxus biliosus; erysipelas; copio-

sum ex pectore sputum ; urina rubra sedimentum deponens : quibus accedant *hæmorrhois*, et fœminarum fluores.

XLII. Interdum autem, ubì medicus non tempestivè arcessitus est, vel ubì inscientiâ medicinæ aut impotentiâ nihil potest arcessitus, inflammata hepatis pars abscedit. Hoc extimescendum esse, suspicetur medicus, ubì horrores corpus subindè percurrunt ; ubì aliquanto pleniùs molliùsque micant arteriæ ; dum cætera intereà mala nihil remittunt.

XLIII. Ubì autem pars inflammata jam abscessit, quod, remissione nullâ, seriùs modò, modò ociùs accidit, non solùm remittit dolor, et locus, quem jecur occupat, pondere onerari videtur ; sed etiam, unoquoque vespere, post horrores, febris intenditur, atque, tertiâ cujusque noctis vigiliâ, summa ubique cutis, haud secùs atque ea syntecticorum, sudore diffluit. Hinc macies ; hinc debilitas ; hinc oculorum

et

et vultûs fœditas ; et, ne multis, hinc plurima mala, quibus tabescentes conficiuntur.

XLIV. Aliquandò, utì dicunt auctores, hepatis inflammationi supervenit duritia. Ubì hoc accidit, tumidum hepar non solùm seipsum justo longiùs demittit, sed etiam, magnam abdominis partem occupando, detrudit contigua et vicina viscera. Quo fit, ut miser, ventricosus et onere gravatus, motûs segnis sit, pariter atque impatiens ; atque, seriùs ociùsve, plerumquè aut redardescente inflammatione brevi pereat, aut, hydrope tumidus, lentâ morte consumatur.

XLV. Sicubì, ut, teste SANDERISIO, interdum accidit, inflammatum jecur in gangrænam abeat, dolor, utcunque anteà vehemens, subitò conquiescit ; et miser, spe eheu vanâ revalescendi delusus ! cibos appetit, oblatos assumit, cum gratulantibus amicis colloquitur ; nescius, quanto discrimine versetur, et aliquo

forsitan

forsitan negotio, præclarive facinoris famâ frustrà intentus.

XLVI. Intereà autem motus arteriarum celeres, debiles, tam vi quàm temporibus inæquales; extremitates membrorum inalgescentes; animæ defectus; cadaverosa facies; neque rarò virides dejectiones, medicum monent, de ægro, fati securo, actum esse, neque procùl abesse mortem.

XLVII. Ubì penetralis jecoris pars suppuravit, pus nonnunquàm, nullâ viâ peresâ, quâ effluat, ex abscessu à vasis bibulis absorbetur; atque, per ductos hinc tubos, in sanguinem transmissum, *hecticam* movet, lentâque tabe ægrum consumit. Aliàs autem erodit sibi viam in cola fellea; et, per ductum ex his conjunctis profectum, in summum intestinum perlabitur, atque fœdissimam, vix aut ne vix quidem sanabilem, movet alvi proluviem.

XLVIII. Quòd

XLVIII. Quòd si superficies jecinoris suppuravit, pus, parietibus abscessûs peresis, in aliam aliàs partem erumpit; pro parte suppurata, et prout hæc, necne, vicinarum partium alicui coaluerit.

XLIX. Ubì gibbera hepatis superficies, inter suppurandum, adhæserit membranæ costas spurias investienti, suppuratum extrorsùm extuberat; et pus, eroso abdominis pariete, extrorsùm effunditur. Unus enimvero, nauta ebriosus, COWPERO teste, memoratur, cujus simul ventriculo, et dextro abdominis parieti concreverat suppuratum hepar; et cujus omnes cibi et potus, paucos ante mortem dies, per erosa abdominis tegmina extrorsùm effluebant.

L. Cùm gibbera hepatis facies accrevit septo transverso, pus, hoc pereso, in saccum *pleu-*

ræ

ræ effluit *. Nonnunquàm inflammatio ex gibba hepatis parte, per septum transversum, permeat in dextrum pulmonum ; quo fieri possit, ut pus posteà ex abscessu in spiramenta animæ infundatur, et, per asperam arteriam ex his pertinentem extussitum, suppuratæ peripneumoniæ, pulmonumve tabis similitudine, medicos decipiat †.

LI. Quòd si concava jecoris facies, inter suppurandum, concrevit ventriculo, aut summo intestino, aut intestino sinuato ; pus, perrosis abscessûs parietibus, in unam harum partium aut

* Vid. Morgagn. *De Sed. et Caus. Morbor.* Epistol. xxxvi. Artic. 4.
Thom. Clark. *Observations*, &c. pag. 189.

† Vid. Morgagn. *De Sed. et Caus. Morbor.* Epistol. xx. Artic. 31.
Maclean. Dissert. Inaug. *De Hepatitide* in *Acad. Edin.*
Thom. Clark. *Observations*, &c. pag. 167. 233. 234.

aut aliam illabitur, undè aut evomitur, aut dejicitur. Modò, ut interdum, pars concava vesicæ felleæ accreverit, pus in hanc erumpit, et, per felleam hinc viam ductam, in summum intestinum permanat, undè suprà aut infrâ transmittitur.

LII. Quoties, id sanè quod pessimum est, pars jocinoris suppurata nulli vicinarum partium adhæsit; pus ex perroso abscessu effluit in saccum *peritonæi*, et, haud longo pòst tempore, morte ægrum afficit. Imò interdum hujusmodi effusio subitam mortem affert; atque, patefacto abdomine post mortem, magna vis puris in *peritonæi* sacco conspicitur.

INSPECTA CADAVERA.

LIII. PROXIMUM est, ut brevitèr exponamus, quæ morbida, incisis cadaveribus eorum, quos abstulit *hepatitis*, secreta rimantium oculis obveniant.

LIV. Jecur ipsum plerumquè, vel ex toto, vel ex parte, tumidum * est, supra quàm sanum

* Vid. FRIDERIC. HOFFMAN. *Oper. Omn.* Edit. ann. M,DCC,XL.

THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 175. 180. 189. 194. 201. 202. 203. 210. 220. —221.

num solet; nonnunquàm pallidum *, et induratum †. Interdum septo transverso adhæret ‡, interdum contiguo parieti abdominis ||; modò stomacho, modò summo intestino; aliquandò intestino sinuatò §, aliquandò vesicæ felleæ, aliquandò dextro renum ¶.

E LV. Quin-

---

* Vid. FRIDERIC. HOFFMAN. *Oper. Omn.* edit. ann. M,DCC,XL.
THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 215.

† Vid. FRIDERIC. HOFFMAN. *Oper. Omn.*
THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 215.

‡ Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 167.

|| Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 201. 202. 212—213.

§ Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 198.

¶ Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 161.
MACLEAN. Dissert. Inaug. *De Hepatitide* in ACAD. EDIN.

LV. Quinetiam aliàs pus in abscessu continetur *: aliàs, abscessu dirupto aut perroso, conspicitur effusum aut in saccum *pleuræ* †; aut in animæ spiramenta pulmonum dextri ‡; aut in saccum *peritonæi* ||; aut in ventriculum; aut in summum intestinum; aut in sinuatum intestinum; aut in vesicam felleam; aut in cola fellea, quæ in ductum hepaticum coëunt.

LVI. Vicinæ,

---

* Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 175. 180. 194. 196—197. 202. 203. 210. 220—221.

† Vid. MORGAGN. *De Sed. et Caus. Morbor.* Epistol. XXXVI. Artic. 4.
THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 189.

‡ Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 167.
MACLEAN. Dissert. Inaug. *De Hepatitide*, in *ACAD. EDIN.*

|| Vid. FRIDERIC. HOFFMAN. *Oper. Omn.*

LVI. Vicinæ, porrò, partes, aliàs aliæ, aliàsque alitèr, morbidæ conspiciuntur. Nunc glandulæ *mesentericæ*, quàm naturales, duriusculæ et majusculæ sunt: nunc splen tumidus, imò sano duplò major *; imò etiam, ut semel præsens vidit Gregorius, pondere octodecim libris æqualis. Interdum humor sufflavus, serove assimilis, inter cor et *pericardium* interfluit †: interdum pulmonum dexter contiguæ costarum *pleuræ* longè latèque, per internata vasa, firmiter adhæret ‡. Jam livet, hìc illìc, septum transversum: jam vesica fellea, itemque fellea hinc directa via, per quam fel permanat in summum intestinum, inflammationis vestigia

* Vid. Morgagn. *De Sed. et Caus. Morbor.* Epistol. xxxvi. Artic. 4.

† Vid Maclean. Dissert. Inaug. *De Hepatitide*, in Acad. Edin.

‡ Vid. Maclean. Dissert. Inaug. *De Hepatitide*, in Acad. Edin.

vestigia ostendunt. Haud rarò pleniora intestina aliquantùm aliquantulùmve morbida, et præter naturam constricta, observantur *.

* Vid. THOM. CLARK. *Observations*, &c. pag. 190. 194. 196—197. 201. 202. 210. 212—213. 215.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

LVII. Nunc ad eam rei propositæ partem pervenimus, in qua considerandum est, non solùm ex qua abdita causa, quibusque evidentibus, oriatur morbus, quem agitamus, sed etiam, quæ cum causa contineat. De his autem compressiùs dicere, nobis in animo est; eoque magis, quòd veremur, ne partes jam absolutas latiùs persecuti videamur.

LVIII. *Abdita*—causa, seu ea quæ reddit mortales ad hepatis inflammationem opportunos, in quadam corporis proprietate consistit. Quid verò hæc sit, accuratè et lucidè exponere imprimis difficile est. Neque, enimvero, hoc mirum; cùm præsertìm corporis proprie-

tates,

tates, quas faciant ætas, sexus, temperamentum, cœlum, vitæ et victûs ratio, tam multæ sint, finibusque tam exiguis aut obscuris inter se divisæ, ut neque HIPPOCRATES eas discernere sciat, neque valeat loquax FABIUS narrare. Quis perspicax NEUTONUS potest scientèr distinguere lubricos colores, quibus columbæ versicoloribus collis illudunt mirantium oculis? Quis solers REYNOLDIUS çallet lusorios scitè discretèque depingere?

LIX. Satìs tamen constat, in calidis regionibus, in quibus potissimùm mortales hepatis inflammatione afficiuntur, fœminas rarissimè corripi, impuberes ferè nunquàm. Tympanotribæ legionis centesimæ primæ in INDIA ORIENTALI merentis, omninò viginti et omnes impuberes, manebant, ut à GIRDLESTONIO accipimus, morbo hepatico immunes. Sed quamobrèm impuberibus parcit morbus hepatarius? Quia nondùm amare et potare insuêrunt; necdum, ut inconcessis voluptatibus libidines expleant,

pleant, totas noctes pervigilare, et furtìm ea facere aut ferre, quibus incontinentium corpora sæpè debilitantur.

LX. Quinetiam, ut jamdudùm medicis plùs satìs innotuit, in calidis INDIARUM cœlis, advenæ, qui EUROPA illuc immigrârunt famam aut opes quærentes, aptiores, quàm indigenæ, sunt, qui jecoris inflammationem experiantur. Quoniam enim illi cœlum, non animum mutant trans mare currendo, primo adventu suo stomacho, ut domi, vivere incipiunt, atque ingurgitare carnes et vinum; delectati, post dura maris, dies noctesque luculentèr habere cum peregrinantibus civibus et amicis. Canes heroum comites et imitatores, utì sunt luxuriei socii, ita morborum participes fiunt, et hepatico morbo luunt vituperandam gulæ indulgentiam. Indigenæ, quoniam cœli naturæ convenienter vivunt, à carnibus pariter atque mero abstinentes, rarissimè hepatariis morbis exercentur. Quin igitur valetudini consulitis,

tis, Europæi; et, mutato cœlo, contemnitis quoque gulæ invitamenta, atque, contentis appetitionibus, salubri indulgetis temperantiæ?

LXI. Ex Europæis advenis, adulti, ætateve valentes, robusti, sanguineo temperamento, quorum corpora hauddum duris belli, aut morbis, aut profusis cupidinibus debilitata sunt, acutâ magis hepatis inflammatione tentantur: longâ, contrà, naturâ imbecilliores; temperamento melancholici; ebriosi; militiâ, cœli intemperantiâ, furtivisve amoribus infirmati.

LXII. His cognitis et consideratis, nobis videtur, aut naturâ, aut vitæ victûsque ratione, aut cœli temperie et moribus, quendam esse corporis habitum Europæis communem, itemque communes quasdam cupiditates; quibus, ubì in Indiis peregrinantur, sunt, præ indigenis, præcipuè aboriginibus, apti, quos hepatici morbi incessant et superent.

LXIII. *Evi-*

LXIII. *Evidentes*—causæ morbi, quem persequimur, numero plurimæ sunt. Hujus generis præcipuæ, ab auctoribus memoratæ, sunt, calva fracta et depressa; jecur extrinsecùs percussum aut vulneratum; jecoris duritiæ; concreta fellea in colis hepaticis inhærentia; irrequietæ *ascarides*, quæ prædabundæ ex alvo, per ductum felleum, in hepar perrepserunt; corpus calidum frigori, præcipuè nocturno, expositum; somnus nocte super fronde viridi; intestinorum difficultates inscientèr curatæ; diæta prava, astringens, concoctu difficilis; intemperatus hydrargyri usus; subitæ tempestatis varietates; febres intermittentes et remittentes, quæ, hepar indurando, haud raró longam ejus inflammationem movent.

LXIV. Causis quoque, quibus excitatur *hepatitis*, ab auctoribus annumeratur intensus calor: nostrâ verò opinione, perperàm; quippe cùm multo verisimilius videatur, potiùs mortales aptos reddere, qui hunc morbum nanciscantur.

 tur.

tur. Inducti sumus, ut ita opinaremur, quòd Europæi, qui, domo profugi, in Indias immigrârunt, rarò hepatico morbo exercentur; modò æqualis calor sit, neque meridiani solis ictibus se temerè objiciant: et quòd, utì certiores nos facit Lindius, in maritima ora Coromandelica, ubì non solùm victus insalubrior est, sed etiam tempestas inconstantior, et solis atque arenæ æstu siccior, plures nautarum Europæorum morbo hepatico corripiuntur et intereunt, quàm Bengalensi, ubì, utì salubrior victus est, ita constantius cœlum; quamvis utrisque oris ferè æqualis sit vis caloris.

LXV. *Continens*—causa, seu proxima, *hepatitidis*, juxtà ac cæterarum inflammationum, inter medicos, in varias partes disputata est. Sed haudquaquàm nobis vacat, inter Stahlianos, Boërhavianos, et Cullenianos, lites componere, eorumve certaminibus nosmet inserere; eoque minùs, quòd complures jam hujus Academiæ alumni eorum opiniones, opinationesve

nationesve potiùs, argumentis refutârint *, iisdemque Smithius facetissimè illuserit †.

LXVI. Iis, enimvero, assentimur, qui existimant, causam, quæ jecoris, pariter atque cæterarum partium, inflammationem continet, esse *comparativam* partis arteriarum *debilitatem*; præ qua, nequeunt sanguinem eâdem ratione transmittere, quâ in ipsas ab arteriis majoribus, à corde profectis, impellitur. Quid autem significet hujusmodi debilitas, Brounius, Donaldsonius,

* Vid. Broun. Disput. Inaug. *De Ophthalmia*, § XL. *Edin.* ann. M,DCC,XCV.

Donaldson. Disp. Inaug. *De Rheumatismo*, § XLV—LIII. *Edin.* ann. M,DCCC,I.

Brock. Disput. Inaug. *De Phrenitide*, § LI—LVIII. *Glasg.* ann. M,DCCC,I.

† Vid. Smith. Disput. Inaug. *De Pneumonia*, § XLVI. *Edin.* ann. M,DCCC,II.

Donaldsonius*, Brockius †, nostrâ opinione, adeò lucidè explanârunt, ut esset tempus terere, de ea fusiùs dicere.

---

* Vid. Donaldson. Disput. Inaug. *De Rheumatismo,* § lv. et lvi.

† Vid. Brock. Disput. Inaug. *De Phrenitide,* § lxi. et lxii.

DIA-

DIAGNOSIS.

LXVII. NUNC paucis dicendum est, quomodò *hepatitis* dignoscatur ab iis morbis, qui notis quibusdam eam simulant. Morbi autem, quibus quarundam notarum communitas est cum hoc, sunt *pleuritis* dextri lateris, *dyspepsia*, *gastritis*, colicus dolor quem movet spasmus, *rheumatismus*. De his igitur, ordine, pauca dicemus.

LXVIII. *PLEURITIDI* dextri lateris quamvis haud pauca communia sint, cum *hepatitide*; utrique tamen propria quædam sunt, quibus internoscantur.

LXIX. In

LXIX. In illo morborum, dolor rarissimè infra sextam costam urget; in hoc, rarissimè supra. Dolor lateris haud raro, hùc illùc thoracis, vagatur; et spiritu in pulmonem ducendo plurimùm intenditur: dolor hepatis, nisi ubì ad *clavicularum* dextram, et summum dextrum humerum immigrat, in una sede inhæret, et haud ita multùm spiritu hauriendo exasperatur. Pleuriticus, porrò, non tantâ vi doloris urgetur, ubì in sanum latus decumbit, quantâ hepaticus. Tussis, quæ pleuriticum vexat, superquàm quòd est post initium humida, crebrior multo et vehementior est eâ, quæ hepaticum; et interdum, quod emolitur, id strias sanguinis intermixtas continet.

LXX. Quinetiam hepatico, pleuritico non item, ex compresso hypochondriorum dextro dolent *clavicularum* dextra, summumque dextri humeri. Ad hoc, jecur inflammatum, superquàm quòd dextrum hypochondriorum tumefacit et gravat, plerumquè demittit se paululùm;

lulùm; imò, nonnunquàm usquè eò, ut acutus margo admotis digitis persentiri possit. Hepatario, denique, morbo urgente, pleuritico non item, nonnunquàm alvus biliosam materiam tam supra transmittit, quàm infrà; atque album oculorum, simulque cutis suffunduntur sufflavo colore.

LXXI. Ægrorum autem haud multùm interest, rectè, necne, dignoscat medicus, utro morborum exerceantur: quoniam utrique, utì eâdem sæpè causâ excitantur, ita eandem plerumquè requirunt curationem.

LXXII. *Dyspepsiæ*—tot communia sunt cum longa hepatis inflammatione, ut peritissimi nonnunquàm medici animorum incerti sint, utrâ ægri laborent. Hos tamen morbos internoscere summi momenti est, quia eadem utrisque curatio nequaquàm convenit.

LXXIII. Me-

LXXIII. Medici animorum dubii, ægrumnè maceret cibos coquendi impotentia, an longa hepatis inflammatio, debent ab eo percunctari, an in sanum latus decumbere nequeat; an dextrum hypochondriorum tanquàm pondere onerari videatur, et ex compressione urgeatur gravi dolore, qui hinc pertendit ad dextram *clavicularum*, et summum dextrum humerum; an perurgeat febris; et, si perurgeat, an interdiu aliquantùm remittat, noctu ingravescat: nam, si, ita sanè, respondebit, sat erit, undè concludant, eum longo morbo hepatario tabescere. Oportet autem medicos prætereà observare, num facies pallida sit, vultus tristis et lugubris; num alba oculorum sufflavo colore suffundantur; numque palpebrarum radices orbitæ luridæ circumeant: haud enim dubium erit, modò hæc insuper accesserint mala, quin hepar occupaverit et depascat longa inflammatio.

LXXIV. *Gastritis*—et acuta concavæ sinistri jecoris lobi faciei inflammatio, sede aliquantùm similia sunt, at facilè tamen possunt distingui. Qui enim stomachi inflammatione urgentur, ii, at non item jecoris inflammatione correpti, cibos pariter et potus, vixdùm devoratos, revomunt; et summâ anxietate, simulque dolore ac ardore vix tolerandis in stomacho et præcordiis, affliguntur. Quinetiam, viribus morbi gravitate emorientibus, citò, mirum in modum, fatiscunt; verùm intereà tamen eorum neque summum dextrum humerum dolor identidem percellit, neque *clavicularum* dextram, ut hepatis inflammatione laborantium.

LXXV. *Colicus dolor*,—quem movet spasmus, ab inflammatione quæ in concava jecoris parte insidet, nonnunquàm vix distingui potest. Ubi enim sinuatum intestinum, spasmo affectum, obstat, quò minùs stercus descendat, dolor, sicut is quem excitat hepatis inflamma-

tio, obtusus et levis est, atque alvus tarda et dura ; simulque æger in neutrum latus potest, sine incommodo, decumbere. Tanta, enimvero, his morbis signorum communitas est, ut, nisi dolor à dextro hypochondriorum identidem pertendat ad dextram *claviculam*, et summam partem dextri humeri, medicus animi dubius sit, uter ægrum urgeat.

LXXVI. Quoties sic de morbo dubitat medicus, debet percontari, quæ ægrum mala premant ; à quibus initiis inceperit adversa valetudo ; quæ dein nova mala, et quo ordine, accesserint : nam ex horum notitia plerumquè poterit perspicere, utrùm colicus dolor ægrum exerceat, an jecoris inflammatio.

LXXVII. *Rheumatismus*,—an jecinoris inflammatio urgeat, discernere haud difficile est medico, qui pernoscat, quæ mala, quibusque ea partibus, uterque morborum afferat. Dolores, quos movet *rheumatismus*, potissimùm

musculos

musculos discruciant, et haud raro, per eos, rursùm prorsùm pervagantur. Musculos autem discruciati, neque intereà tussi vexantur, neque spiritûs difficultate, neque dolore dextram *clavicularum*, summumque dextrum humerum subindè percellente ; quibus sanè malis urgentur *hepatitide* laborantes. Quinetiam, dolores dextri hypochondriorum, quibus nonnunquàm vexantur *rheumatismo* afflicti, hoc corporis mitigantur positu, illo exacerbantur ; atque ingravescentibus artuum doloribus remittunt, vicissimque ingravescunt remittentibus.

RATIO SIGNORUM.

LXXVIII. Res videtur postulare, ut, cæterorum morem imitati, qui hujusmodi scriptis operam impenderunt, hìc loci signa electè, ut quæque expositu dignissima videntur, breviter explanemus.

LXXIX. *Pyrexia*—idcirco hepatis, pariter ac cæterorum viscerum, inflammationem comitatur; quòd hinc, per nervos, omne corpus, prætertìm cor et arteriæ, incitatur supra modum, quem secunda valetudo requirat.

LXXX. *Hypochondriorum dextri tensio*—undè? Ex vasis sanè inflammatæ partis sanguine,

guine, præter solitum, impletis atque distentis; quo fit, ut æger perindè sentiat, ac si, ibì abdominis, satìs spatii jecinori deesset.

LXXXI. *Dolor pungens*—ubi hæret, et undè oritur? Hæret in hepatis tunicis; imprimìs eâ *peritonæo* ortà, quæ, præ densitate, vasis sanguine turgescentibus obstinatè renititur. Vasorum igitur nervi sanguine distenti, simulque sanguine pariter, pariterque renitentibus membranis compressi, acutissimum persentiunt dolorem, *pungentem* ex similitudine aptè nominatum; qualem partes naturâ molliores, distentionisque patientiores, non experiuntur.

LXXXII. *Dolor obtusus*—insidet jecoris substantiæ; quæ, utpote mollior et laxior, vasis sanguine tumescentibus faciliùs cedit. Quapropter, nervis minùs distentis et compressis, æger hebetiore multò dolore afficitur, quem translato verbo *obtusum* appellat.

LXXXIII. *Do-*

LXXXIII. *Dolor ad dextrum humerum*—relatus, undè? An ex inflammatione permanante à hepate, per septum transversum, ad *mediastinum?* Vero idcirco absimile hoc est, quòd dolor illuc pertendit, etiam ubì nondùm huc perrepsit inflammatio. Multo igitur verisimilius est, dextrum humerum et *claviculam* dolorem participare, ob consensum, qui, per nervos septi tranversi, præsertìm dextros *phrenicos*, his partibus intercedit cum hepate. Ut enim duo spatia corporave, quæ magnitudine idem tertium æquant, sunt ipsa ejusdem magnitudinis; ita duæ partes corporis, quæ, per nervos, cum eadem tertia consentiunt, voluptates, pariter atque dolores, altera alterius, participant.

LXXXIV. *Decubitus in sinistrum latus difficilis.*—Corpore in sinistrum latus decumbente, ubì gibba facies hepatis inflammatur, ligamentum dextrum, itemque medium *suspensorium*, ipsa fortassè aliquantùm inflammata,

mata, pondere ejus visceris distenduntur, vicissimque inflammatam ejus tunicarum partem distendunt; ubì concava, pars morbida hinc ipso hepate superjacente comprimitur, illinc resistentibus contiguis visceribus, quæ, præ costis sinistris superjacentis corporis pondere minùs mobilibus, ei minùs cedunt.

LXXXV. *Dyspnoea*—acutâ hepatis inflammatione affectos urget, quòd, inter spiritum hauriendum, demissum septum transversum hepar detrudit, et supernè comprimit; inter emittendum, sublevatum septum transversum distendit connectentes, forsanque inflammatas membranas, et, per eas, inflammatas tunicas hepatis, dum simul cætera viscera, incumbentium musculorum contractione protrusa, hepar comprimunt infernè.

LXXXVI. Jecoris longâ inflammatione affecti aucta ipsa moles impedit, ne descendat, utì debet, septum transversum; quo fit, ut hepaticus

cus non possit unoquoque spiritu tantam animam ducere, quantam valetudo requirat, ideoque, crebriùs ducere coactus, sicuti suspiriosus anhelat et fatigatur.

LXXXVII. *Tussis*—hepaticos identidem vexat, quòd, præ spirandi difficultate, quâ urgentur, sanguis non potest facilè, ut in sano solet, per pulmones permanare. Ejus verò motum expediendi gratiâ, mirando Naturæ artificio *laryngis* musculi, per nervos, cum laborantibus pulmonibus consentiunt, et cum *laryngis* musculis, musculi, per quos anima ducitur et redditur: quo fit, ut, motu sanguinis per pulmones undecunquè difficili, musculi *laryngis* irritentur; et musculi spirandi, irritationis participes, in breves vehementesque subindè motus cieantur, quibus efficitur tussis, et sic navent operam, ut per pulmones sanguis expeditiùs permeet.

LXXXVIII. *Vomitu*—identidem vexantur hepatici, ubì concavæ hepatis superficiei inhæret inflammatio; aut quia tumefactum hepar stomachum gravat; aut quia partis inflammatæ calor eum, præter solitum, stimulat; aut quia calor insolitus contigui hepatis inflammati in eo inflammationem excitat: aut quia, ut interdum, morbida vis bilis à hepate secreta, per ductum hinc profectum, in summum intestinum permanat, atque, verso hujus motu, in stomachum perlabitur, eumque in motus abnormes ciet.

LXXXIX. *Singultus*,—qui, ubì gibbera hepatis superficies inflammatur, hepaticos perurget, oritur ex septo transverso, inflammatæ hepatis tunicæ aut inflammationem, aut saltem per nervos dolorem, participante. Subitæ, et iteratæ hujus septi musculorum contractiunculæ, *singultus* nominantur; quod sanè nomen, apud veteres quosdam scriptores, videtur cæ-

terorum quoque musculorum contractiunculis commune fuisse ; quippe apud quos, *SINGULTUS NERVORUM* idem planè valeret, quod, apud recentiores, *SUBSULTUS TENDINUM.*

PRO-

PROGNOSIS.

XC. PRIUSQUAM curationem morbi, quem tractamus, exsequi conamur, idoneum est breviter proponere, quæ notæ spe animum erigant, quæ metu deprimant. Nam, ut benè dicit SMITHIUS, "quid medicis proficit cognoscere morbos, et scire facultates medicamentorum usumque medendi, nisi didicerint callidè præscire et prædicere, sanabilis, necne, quisque morbus sit, salusne quemque ægrum maneat, an mors *."

XCI. Ubi

* Vid. ROBERT. SMITH. Disput. Inaug. *De Pneumonia*, EDIN. M,DCCC,II. § LXXII.

XCI. Ubì æger, etiamnum juvenis, nondùm morbis, vel diutinâ in fervidis regionibus peregrinatione, vel duro labore, vel victûs venerisve intemperantiâ, debilitatus est, necdum mœrore adversâve fortunâ animum fractus; bonum est. Etenim nulla dum causa apparet, cur ipse despondeat animum, salutive medicus desperet.

XCII. Licet quoque scire, non periclitari ægrum, si graviora mala, quibus urgetur, biliosâ alvi profusione levantur, vel sanguinis profluvio, vel copioso sudore toto corpore oriente. Quoties enim mala sic levantur, est, quarè speremus, inflammationem propè esse, ut discutiatur, et fore, ut revalescat æger.

XCIII. At, contrà, malum est, ubì hepaticus seu morbis, seu cœli gravitate locique vitio, seu inconsideratâ indulgentiâ, multùm infirmatus

firmatus est. Quippe, tametsi levia initio mala urgeant, hepar tamen, nisi efficacibus remediis et medicamentis digeratur inflammatio, brevi plerumquè tempore abscedit, aut indurescit.

XCIV. Neque verò bonum est, opportunâ medicinâ non levari mala, quibus hepatici urgentur, et non redire pristinum colorem. Hinc enim patet, tantam esse vim inflammationis, quantam medicina nequeat discutere; et necesse esse, aut suppuratio aut duritia superveniat.

XCV. Periculosum est, ubì non solùm dextrum hypochondriorum, sed etiam summus dexter humerus, *clavicularum*que dextra, ingente vi doloris urgentur; ubì vehemens et perpetua ferè tussis vexat, simulque magna spirandi difficultas. Pessimi quoque morbi indicia

indicia sunt, ingens cutis fervor, celerrimi et duri arteriarum ictus, mentis alienatio, alvus dura et compressa, cutis arida. Hæc enim mala ostendunt, ægrum in lubrico versari; et, nisi lenis precibus Apollo, aliusve quispiam opifer Deus adsit, et periculo subtrahat, propè esse, ut morte rapiatur.

xcvi. Longâ hepatis inflammatione affectis salutem polliceri licet, dummodò medicinæ efficaciâ, vel constitutionis bonitate, vel temperatioris cœli indulgentiâ, vel domum reditione, vel omnibus simul, pristinum colorem recuperent; atque venter, eodem quotidie tempore, quo secundâ valetudine solebat, reddat stercus, molle, figuratum, modo conveniens his quæ assumuntur, neque fœditate odoris simile stercus sani hominis excedens.

xcvii. Ra-

XCVII. Rarissimè autem servari possunt, ubì sive ipsorum negligentiâ, sive medici imperitiâ, sive medicinæ impotentiâ, sive vi morbi ipsâ, sive omnibus simul, hepar jam abscessit. Etenim, ubì eò perventum est inveterationis, pus ex abscessu absorptum, tabefacto sanguine, *hecticam* movet; quæ, vires in dies depasta, vitam demùm ipsam absumit.

XCVIII. At non tamen semper ex suppurato hepate mors accidit. Nonnunquàm enim, vel postquàm pus, pariete abscessûs vicinisque partibus perrosis, in spiramenta animæ, aut in stomachum, aut intestinum summum sinuatumve, aut extrorsùm per contiguum abdominis parietem, perrupit; ulcus, præ rarâ quâdam seu medicinæ, seu corporis ipsius constitutionis bonitate, renatâ substantiâ solidescit, atque macilentus et extenuatus æger revalesc[it] paulatimque

latìmque pristinam valetudinem et vigorem redipiscitur. Misero autem, cujus in *pleuræ* aut *peritonæi* saccum pus ex abscessu perlabitur, nulla spes superest, nulla salus.

CU-

CURATIO.

XCIX. Restat, ut nunc breviter dicamus, quæ acutæ hepatis inflammationi conveniat curatio; dein, quæ longæ seu vetustæ. His enim inflammationibus, utì medicos edocuit experientia, eadem curatio nequaquàm idonea est.

C. Acutæ curatio.—Acuta jecoris inflammatio quamprimum discutienda est, ne aut in suppurationem abeat, aut in duritiam.

CI. *Abstinentia.*—Hoc (C.) consilio, æger debet abstinere ab omnibus esculentis et potulentis, quæ cor et arterias stimulant; quippe cùm inflammationem aggravent, impediantque ne prosint medicamenta et reme-

dia. Quinetiam, dum est carnium et vini, et cæterorum omnium ciborum et potuum incitantium abstemius, oportet cavere, ne caloris et frigoris vicissitudinibus se committat, et hinc inflammationem eò gravitatis perducat, ut eam digerere medicina non possit.

CII. *Sanguinis detractio.*—Quò discutiatur inflammatio, sanguis, ineunte morbo, detrahendus est. Debet mitti, plagâ amplâ, et pleno rivo; nam comperti sunt medici, sanguinem sic missum plùs ad inflammationem digerendam pollere, quàm sanguinem eâdem copiâ detractum, plagâ exiguâ, et minuto rivulo.

CIII. Quantum sanguinis mittendum sit, medicus judicat ex cognita morbi vi et ratione, et consideratis ægri viribus. Ut enim digeratur inflammatio, oportet, venâ semel iterùmve incisâ, eam copiam sanguinis mittere, quam illius vis requirat, et ægri vires pati

posse

posse videantur. Debilium, quorum vires non ferre possunt tantam ex brachio sanguinis jacturam, quantam desideret vis morbi, ex dextro hypochondriorum, ministris cucurbitulis cum ferro, aut hirudinibus, sanguinis pauxillum elicere, utile erit. Hoc quidem auxilium minùs efficax est; at magis tutum, ideoque, quoties vehementiore uti non licet, anteferendum.

CIV. *Exulceratio*—quoque dextri hypochondriorum, ad acutam jecinoris inflammationem discutiendam multùm valet. Ei itaque parti, post sanguinem detractum, et vim inflammationis aliquantùm minutam, emplastrum exulceratorium superponendum est.

CV. Quomodò exulceratoria ad inflammationes reconditarum partium digerendas conducant, inter medicos discrepat. Nonnulli contendunt, inflammationes discutere demendo materiam ex corpore, et sic pacando nimios

mios motus cordis et arteriarum: alii, spasmum solvendo, quo extremitates arteriarum inflammatarum partium constringi existimant: nonnulli, cor, et arterias ab eo ad partem inflammatam pertinentes, sic stimulando, ut vi à tergo sanguis per arterias inflammatas propellatur: nonnulli, denique, ut CULLENUS, sanguinem, ex parte interna inflammata, extrorsùm ad cutem æqualiter totam derivando. Nobis videtur, exulcerationem his omnibus modis ad inflammationes internarum partium discutiendas conferre; sed præsertìm, derivando sanguinem ad superficiem, ob mirum consensum, qui, ut ostendit CULLENUS, omnibus partibus cutis intercedit cum parte exulcerata.

CVI. *Purgatio*—quoque acutâ hepatis inflammatione laborantibus utile remedium est: cùm præsertìm non solùm eorum alvum, quæ plerumquè tarda est, in salutares motus cieat, quibus fæces expellantur; sed etiam, demendo

do materiam ex corpore, haud parùm possit ad resolvendam inflammationem.

CVII. Medicamenta maximè idonea, ex quibus duo hæc simul commoda accipiant hepatici, sunt cathartica mitiora et refrigerantia. Hujusmodi sunt *sales secundarii*, nominatìm *sulphas sodæ*, *sulphas magnesiæ*, *phosphas sodæ*, *tartris potassæ*, *supertartris potassæ*, *tartris sodæ*. Siquandò, ut interdum, hæc medicamenta parùm ad alvum movendam pollent, iis substituenda sunt efficaciora; velut *submurias hydrargyri*, vel *jalapa*. Quò optatò respondeant cathartica, ægri debent dilutas potiones, videlicet aquam decoctam ex hordeo, vel ex oryza, affatìm bibere.

CVIII. *Refrigeratio*—item nonnihil contribuit ad acutam hepatis inflammationem discutiendam. Tutissima refrigerantia sunt, acida nativa ex iis parata, quæ gignuntur è terra; velut succus malorum aureorum, malorum citreorum,

rum, *tamarindorum*, uvarum, et his consimilium. His accedat *sal secundarius*, nempè *citras potassæ*. Hæc refrigerantia, superquàm quòd calorem sedant, et nimios cordis atque arteriarum motus; haud raró lenem sudorem eliciunt, et sic duplice modo conducunt ad inflammationem digerendam.

CIX. *Salivatio.*—In INDIA ORIENTALI, ubì plures mortalium inflammatione jecoris laborant, quàm in cæteris cognitis orbis terrarum partibus; medici, post vim morbi detractione sanguinis, aliisque remediis quæ memoravimus, mitigatam, solent, secundo tertiove morbi die, salivam movere: comperti, nullâ aliâ æquè ratione posse præcavere, ne hepar abscedat, aut induresca. Quò salivam cieant, præcipiunt hepatariis, ut *submuriatem hydrargyri* devorent, simulque dextro hypochondriorum, aut feminibus *cœruleum ex hydrargyro unguentum* infricent, usquè eò, ut os incalescat et salivet.

CX. Ubì

CX. Ubì medicamenta et remedia, quæ diximus, ad spem non responderunt, et hepar abscessit, atque abscessus extrorsùm extuberat; oportet, plagâ peritè factâ, pus emittere, dein idoneâ curatione sanare ulcus.

CXI. LONGÆ CURATIO.—Optima, à quibus auxilium accipiant longâ jecoris inflammatione laborantes, sunt, ut medicos edocuit experientia, *submurias hydrargyri* devoratus, aut *cæruleum ex hydrargyro unguentum* summæ cuti infrictum, donec salivam lenitèr moveat:—*acidum nitricum*, copiâ duarum drachmarum aquæ bilibrâ dilutarum, quotidie, per complures hebdomadas continuas, assumptum:—amara, scilicet aqua ex maceratis chamæmeli floribus; pulvis ex *colomba*, aut aqua ex ea, aut distillatus ex ea humor:—opium, si alvus nimis fluat; sin astricta sit, cathartica suprà dicta, aut, dummodò perimbecillus sit stomachus, aloë:—diæta ex materia valente

et

et levi :—exercitatio lenis, sereno cœlo :—profectio ex calidis orbis terrarum partibus, in temperatiores ; præsertim Indiis patriam Europæam reditio.

FINIS.